N. 5.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HÆMORRHOEA PETECHIALI;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JACOBUS BARTER MAKITTRICK ADAIR,

SCOTUS,

Soc. Reg. Med. Edin. Praeſes Annuus,

Soc. Phyſ. Americ. olim Praeſes, et Soc. Extraor.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

In rebus quibuſcunque difficilioribus non expectandum, ut quis ſimul et ſerat, et metat, ſed praeparatione opus eſt, ut per gradus matureſcant.—Bacon. Nov. Org.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIX.

SOCIETATI REGIÆ MEDICÆ

EDINENSI,

Has ſtudiorum ſuorum primitias,

Animi beneficiorum nunquam non memoris futuri

(Impar utcunque)

Teſtimonium,

Conſecrat

AUCTOR.

SOCIETATI REGIAE MEDICAE

PRAESIDI

Illa hodierna lucubratiuncula

Etiam beneficiorum denegatam non inscitiae forte

(Iuppiter exemplo)

Tuberculum

Cultores

AUCTOR

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HÆMORRHOEA PETECHIALI.

PROŒMIUM.

JUVENI admodum, et in re medica prorsus Tyroni, morbum adhuc fere intactum depingere aggredienti, plurima et graviſſima obſtant impedimenta. Propriae experientiae penuria, auctorum paucitas, praecipue urgent. Nec tamen haec obſtacula, utcunque difficilia ſuperatu, me terrere potuerunt, quo minus ad arduum illud opus me gnaviter accingerem, magis voluntate experiundi, quam ſpe perficiendi, impulſus. Igitur, ſi quos errores aut incuria fudit, aut humana parum cavit natura, lectoris vel acumen, vel diligentia offenderit, veniam Academicis

cademicis hujuſmodi exercitatiunculis concedi ſolitam peto, ſperoque.

HISTORIA LITTERARIA.

Morbum noſtrum primus omnium, quos noverim, et ſatis quidem accurate, deſcripſit Lazarus Riverius. Is, de petechiis in febre peſtilenti obviis tractans, ſequentia protulit: ‘ Apparent tamen aliquando in aliis affectibus, ‘ citra febrem peſtilentem, maculae quaedam, praedictis ‘ conſimiles, ſed a diverſiſſima cauſa prodeuntes, nempe ‘ a ſanguinis tenuitate nimia, qui a calore aut facultate ‘ expultrice agitatus, extra capillares venas in cute efflo- ‘ reſcit. Illae potiſſimum ſolent contingere in iis, qui ſan- ‘ guinis fluxum patiuntur, ex eo quod ille factus fuerit te- ‘ nuior et aquoſior. Tum etiam in lienoſis et ictericis, et ‘ diuturnas viſcerum obſtructiones patientibus, iiſque om- ‘ nibus, ut ſummatim dicam, qui propter viſcerum debi- ‘ litatem ſanguinem generant aquoſum, et in cachexiam ‘ proclives ſunt. In his enim ſanguis tenuior factus, modo ‘ per nares, modo per aliam partem effluit, modo etiam ‘ a capillaribus exiens venis, in partes cutaneas tranſmit- ‘ titur, ubi retentus proprium amittit colorem, et vel li- ‘ vidus, vel niger, vel puniceus factus, varias macularum ‘ differentias profert; quae tamen a maculis febrium ‘ peſtilentium diverſiſſimae ſunt, et nihil aliud quam ſan-

‘ guinis

'guinis tenuitatem aquoſam, et imbecillitatem jecoris, 'prae ſe ferunt [a].'

Anno 1775, Eberhardus Gottlieb Graff Diſſertationem Inauguralem, 'De Petechiis ſine Febre,' Gottingae edidit. Is plures ejuſdem naturae hiſtorias ex Actis Naturae Curioſorum citavit, ſuum calculum opinioni de cauſa proxima, quam ex Riverio citavimus, adjecit.

In Actis Societatis Medicae Hafnienſis J. G. Gulbrand ſimilem aegri hiſtoriam narravit [b].

Denique, celeb. Duncan, vir de arte Paeonia et de genere humano optime meritus, hujus morbi exemplum, ſibi obvium, publici juris fecit [c]; plures deinceps aegros, eodem laborantes, tum in privatis domiciliis, tum in valetudinario publico, curavit [d].

DE DEFINITIONE.

Morbum, quem hac in diſſertatione tractare aggredior, ſcriptores, qui ſententias ſuas de natura ejus et ſymptomatibus protulerunt, variis nominibus ornârunt. Riverius, ut vidimus, nullum ei peculiarem titulum impoſuit. Graff *Petechias ſine Febre* appellavit. D. Duncan eum ſub nomine *Petechianoſi*, vel *Aimorrhoeae* deſignavit. Nos,

a Riverii Praxis Medica, Lib. xvii. cap. 1.

b Act. Hafn. Vol. ii.

c Medical Caſes and Obſervations.

d The Public Diſpenſary.

conjuncto utroque nomine, *Haemorrhoeam Petechialem* nominare malumus.

Aliquanto magis difficile esse videtur, ut classem atque ordinem inveniamus, quibus haemorrhoea petechialis jure sit referenda. Similitudo cum scorbuto, in quo petechiae et vibices creberrime occurrunt, Impetigines ill. Culleni indigitare videtur, dum sanguinis profluvium, quod in hoc morbo maximi est momenti et periculi, suadet, ut eum sanguifluxibus [a] Sauvagesii et Sagari annumeremus. Postea in propatulo erit, cur prior ordo nobis magis arridet.

Deinde animus ad morbi definitionem advertendus est. Hanc sequentibus verbis aggressi sumus.

Petechiae et vibices, sine pyrexia, in variis corporis partibus apparentes, et inde subito recedentes; sanguis e pluribus locis, vel sponte, vel a levissima causa, fluens, vix coercendus.

HISTORIA.

Nunc symptomata, quae in variis aegris observata fuere, in unum colligenda, et in certum ordinem redigenda sunt, ut historia morbi efficiatur.

Haemorrhoea nulli aetati peculiaris esse videtur. Narrantur, quippe, historiae aegrorum annos varios, a 2d[a], ad

a Cur non potius haemorrhagiis Culleni annumeraverim, vide viri eximii Prim. Lin. DCCXXXVI. Confer. Cullen. Synopf. Nosolog. Method. Tom. ii. pag. 153. in nota.

ad 72^m agentium. Nec ſexus alteruter morbo proclivior. Ex iis aegris, quos aut cel. Duncan curavit, aut ego vidi, 3 muliebris, 2 virilis ſexus erant; Graffius 5 marium, 7 foeminarum hiſtorias citat. Neque tamen diſſimulandum eſt, mulierum numerum, quam virorum, aliquantum, ut patet, majorem fuiſſe. Minime vero, ab exemplis tam paucis, mulieres huic morbo prae viris obnoxias eſſe ſtatuendum eſt.

Dubito, quid de vitae ratione, quae huic morbo homines opportunos reddit, ſit dicendum. Certe longe plerique, etſi non omnes, pauperes fuere, quanquam nemo horum, praeter Jacobum Galloway [a], vitam mendicam agebat, aut rebus, ad ſacram divinae aurae particulam alendam maxime neceſſariis, prorſus egebat. Morbum certe vidit D. Duncan in puero, qui non his tantum, ſed omnibus vitae commodis, fruebatur. Nihil prorſus, de re tam digna, quae notaretur, tradidit Graff.

Exemplum quidem unum ſe cl. Duncan obtulit, quod, prima ſaltem facie, ſuadere videbatur, haemorrhoeam haereditariam eſſe. Quippe parentes pueri modo memorati duos liberos, ſimili morbo extinctos, jam antea amiſerant. Sed nec parentes, nec alii liberi, ſemper ſaniſſimi, huic opinioni veri ſimilitudinem ſubminiſtrabant, nec quicquam inde inferre fas eſt, niſi aegros cauſae alicui, ad morbum producendum valenti, communiter patuiſſe. Haud tamen

[a] Vide Appéndicem, in quo nonnullae hiſtoriae, non antea in lucem editae, narrantur, aut judicet aequus lector, ſatiſne accurate ſymptomata enumeravero.

men ſilentio praetermittendum eſt, parentes Suſannae Pope [a] ſcrofulae olim obnoxios fuiſſe.

In pleriſque exemplis, morbus noſter aliorum morborum ſequela fuit: Typhi [b], Febrium Remittentium [c], Intermittentium [d], Amenorrhoeae [e], Partus laborioſi [f], morbi Hypochondriaci [g], Variolae inſitivae [h], &c. Nec deſunt exempla, in quibus vibices et ecchymomata, haemorrhoeam aliquantum referentia, in hydropicis obſervata ſunt.

Narratis omnibus rebus, quae ante morbum obſervari potuerunt, jam morbi ſymptomata enumeranda ſunt.

Haemorrhoea nonnunquam ſubito aegrum invadit; plerumque tardiori paſſu incedit. Saepius Petechiae, nonnunquam haemorrhagiae, primo invadunt. Nec prorſus omittendum eſt, cl. Duncan nonnulla exempla vidiſſe, in quibus Petechiae aberant, et ſola haemorrhagia morbum conſtituebat. Graffius hiſtoriam, e contrario, citavit hominis, qui Haemorrhagiae expers, ſolis Petechiis correptus eſt.

Plerumque nauſea, infirmitas, et cephalalgia, acceſſionem morbi comitantur. Aliquando febricula adeſſe viſa eſt; ſed in pleriſque aegris nulla verae pyrexiae ſigna obſervari potuerunt. In non paucis valetudo fere intacta fuit.

Maculae et colore et magnitudine variant. Nonnullae harum, quae, ob ſimilitudinem cum pulicum morſibus, *Petechiae* vulgo dicuntur, rubrae aut nigrae ſunt. Aliae, vibices dictae, latiores, aut caeruleae, aut nigrae ſunt. Aliae

[a] Appendix, No II. [b] Ibid. in Hiſt. Suſannae Pope.
[c] Graff, Pag. 22. [d] Pag. 20. [e] Pag. 19.; Vide quoque Wedel de Febre Peſtilent cap. 3. [f] Graff, Pag. 21.
[g] Pag. 19. [h] Pag. 22.

liae demum, latiſſime extenſae, ecchymomata referunt. Vigente morbo, maculae crebro ſitum mutant. Nonnullae evaneſcunt; alia poſtea, in iiſdem, vel diverſis locis, conſpiciuntur.

Petechiae in omnibus corporis partibus, ſaepius in pectore, rarius in facie vel in manibus, obſervantur. Saepiſſime glabrae ſunt, nec ſupra cutis ſuperficiem elevatae, ſemel durae fuere, et aliquantum prominulae. In aliis exemplis apparuerunt veſiculae, ex quibus ruptis ſanguis effuſus eſt niger, et in grumos coactus [a].

Haemorrhagiae multo majoris momenti ſunt, quam maculae. Vix ullus eſt corporis locus, ex quo ſanguis non in aliquo exemplo profluxit. Saepe ab ore, gingivis, naſo, ventriculo, pulmonibus, ano, utero, urethra effuſus eſt. Semel ab ulcuſculis tineae ſtillavit. Ex his locis vitalis latex ſponte profunditur. Vulnuſculum autem, quamvis leviſſimum, cuilibet parti inflictum, ſimilem fluxum, coercitu difficillimum, ciet.

Sanguis excretus ſaepius, ni fallor, naturali ſimilis fuit; nonnunquam aequo tenuior eſſe videbatur, nec raro ſpiſſus, et in grumos coactus. Sanguis e naſo effuſus, qui ſolus a muco, urina, aut faecibus admixtis, purus erat, more ſolito, ut videtur, concrevit. Multum tamen dolendum eſt, Doctores Duncan et Graff minus, quam par erat, huic rei animum advertiſſe.

Haemorrhagia ſaepe gravis eſt, nonnunquam mortem minatur, bis intulit necem.

Pulſus arteriarum ſaepe naturales ſunt, plerumque tamen frequentes et debiles. Reſpiratio parum afficitur.

Jacobus

[a] Graff, Pag. 23.

Jacobus Galloway [a], quidem, catarrhalia quaedam ſymptomata conqueſtus eſt. Calor nonnunquam febriles aeſtus ſimulat, ſaepius non augetur. Sitis aliquando urget, plerumque non item. Adpetitus cibi varius eſt; in quibuſdam exemplis deficit, in pluribus immutatus. Omnes magna muſculorum debilitate laborârunt, quanquam cerebri functiones rariſſime delirio aut comate turbatae ſunt. Vultus pallet, quod minime mirum eſſe poteſt, ob copiam boni ſanguinis amiſſam, et multo tardius, quam mera ſeroſitas, reſtitutam. Nec tamen aegri in univerſum pallent. Alexander Dingwall [b], etiam poſt repetitas haemorrhagias, et morbum jam bimum, colorem ſatis pulchrum retinebat.

Alvus et urina naturaliter ſe habent, niſi quum ſanguine inquinantur. Nonnunquam ſanguis, ſolo muco mixtus, alvo ſecedit.

Valetudinis redintegrationem pollicentur haemorrhagiae minus et crebrae, et copioſae.

Amborum miſerum, hoc morbo extinctorum, cadavera per ſolitum temporis ſpatium incorrupta manſerunt. Nec unquam foetor, putredinis indicium, durante vita, in aegris animadverti potuit.

Unica ſecti cadaveris hiſtoria memoriae tradita eſt; narrabo, ipſis fere auctoris verbis, et morbum, et phaenomena, quae poſt mortem cultri anatomici ope detecta ſunt.

‘ Puer annum ſeptimum agens, poſt tertianam inter-
‘ mittentem, primum in duplicem, dein remittentem
‘ con-

a Appendix, No. I.

b Ibid. No. III.

‘ continuam converſam, maculis petechialibus correptus
‘ eſt. Iſtae ſine gravioribus ſymptomatis apparuere, ac
‘ propterea ipſi primum medicina ſudorifera oblata eſt.
‘ Subſequutae ſunt deinde haemorrhagiae narium, gingi-
‘ varum, ac crebrae puerum vomitiones vexârunt. Uri-
‘ nam reddidit rubicundam aeger, et cum ingens ſan-
‘ guinis copia per nares ſtillâſſet, animum efflavit tandem.
‘ Poſt mortem, cadaver cultro aperui, *foetorem tamen altero*
‘ *poſt mortem die putridum non ſparſit.* Extenuatum inveni
‘ ventriculum, lienem lividum, et atro cruore turgidum,
‘ ac ita friabilem, ut levi diſſolveretur contactu. Hepar
‘ exſangue et pallidum ; inteſtina ſparſim rubentia, rec-
‘ tum vero lividum. In jejuno, lumbricus vivus repertus
‘ eſt [a].’

Qua quidem de re Graffius ſequentia obſervat. ‘ Forte
‘ hic quaeſtio moveri poſſit, num livor ruborque, quem
‘ auctor in inteſtinis vidit, ad petechias pertineat, et num,
‘ ut variolae olim, petechiae internae poſſint ſtatui ?
‘ Probabile eſt. Caeterum patet, puerum a nimia ſan-
‘ guinis jactura extinctum eſſe : Forte acceleravit mortem
‘ etiam Lumbricus [b].’

Lumbricus ab aegra, cujus hiſtoriam D. Duncan [c] publici fecit juris, excretus eſt.

Duratio morbi in variis exemplis varia eſt. Semel poſt ſeptem dies ſponte rediit valetudo. Plerumque per plures ſeptimanas, immo etiam menſes, annoſve perſtitit.

Non-

a Joannes Adolphus Raymannus in Actis Naturae Curioſorum, Vol. IX. pag. 99.

b Graaff. pag. 22.

c Medical Caſes and Obſervations.

Nonnunquam haemorrhoea recidiva esse visa est; quum uno in exemplo, redeunte aestate, morbus semper per 6 annos rediit. Jacobus Galloway, anteaquam a cl. Duncan auxilium impetravit, jam bis eodem morbo affectus fuerat.

DE EXCITANTIBUS.

Causarum remotarum investigatio, omnium rerum, ad morborum historias pertinentium, difficillima est. Satis autem omnibus patet, eas, si notae essent, multam lucem in rem satis obscuram allaturas esse; nosque, si non ad medelam, certe ad prophylaxin morbi ducturas. Sedulo igitur investigare debemus, quid de iis docent historiae, et, oculis captorum instar, veri viam, quae visum fugit, porrectis manibus palpare.

In quibusdam exemplis, a Graffio citatis, de causa non sine veri similitudine quadantenus conjectare possumus. In uno scilicet exemplo, haemorrhoea sudoris admoto frigore cohibiti effectus fuisse visa est. In altero, medicamento sudorifero incaute propinato, morbum tribuit medicus. Semel a partu laborioso oriri visa est. Petechias saepissime in iis apparere, qui diu hepatis, lienis, aliorumve viscerum obstructionibus, laborarunt,—ab aquoso sanguinis statu oriri, asseruit Lazarus Riverius, jam citatus. Aeger, a D. Duncan curatus, fabas nigras vulgares, copia immodica devoratas, pro causa morbi accusavit.

In

In alio, quem idem medicus curavit, pica quaedam, ſeu terrearum ſubſtantiarum adpetentia, obſervata fuit. Dubium eſt, an hoc ſymptoma ullo modo cum ſanguinis profluvio et petechiis connexum fuerit, an potius morbidam ventriculi aciditatem ſolummodo indicaverit. Utcunque hoc erit, certe opinioni de ſanguinis putredine in hoc morbo exiſtente non parum adverſatur.

Suſannah Pope [a] habitu corporis laxo et delicatulo praedita erat; paulo ante morbi acceſſionem fatigationi obnoxia fuerat, ſpicas a meſſoribus ſparſim relictas colligendo. Pauper erat, in domo ſatis parva et male ventilata vivebat, hinc aëri inſalubri patebat, et cibo concoctu difficili. Adjice, quod febre typho paulo antea laboraverat.

Vero non eſt abſimile, pleroſque aegrorum, quorum hiſtoriae a viris cl. Duncan et Graff memorantur, ſimiliter cibo concoctu difficili et parum nutriente veſci ſolitos fuiſſe, ſimiliter aëri impuro et inſalubri obnoxios. Nequicquam objicitur, multos homines his et ſimilibus cauſis exponi ſolitos, proſpera tamen frui valetudine. Ut cauſae externae excitantes, in corpus humanum agentes, morbum efficiant, neceſſe eſt ut adſit praediſpoſitio quaedam, vel proclivitas ad morbum ſuſcipiendum. Multi homines alternationibus caloris et frigoris objiciuntur quotidie, impune tamen; dum cauſae eaedem, in aliis catarrhum, rheumatiſmum, pneumoniam producunt.

a Appendix, No. II.

PRÆSAGIA.

Quum periculum hoc in morbo ex ſanguinis jactura praeſertim ſit metuendum, praeſagium fauſtum erit, vel infelix, prout illa, ratione virium aegri habita, copioſa fuerit. Vidimus jam, duobus in exemplis, necem ab haemorrhagia illatam fuiſſe, et probabile eſt, quod de caeteris haemorrhagiae ſpeciebus plus ſatis compertum eſt, ab ea, quanquam non ſtatim lethi gradum corripiat, tamen cachexias varias inductum iri [a].

Petechiarum receſſio, et valetudo generalis intemerata, fauſtum eventum omnium certiſſime pollicentur.

DE CURATIONE.

Haemorrhoeae petechialis curatio huc uſque fere empirica fuit, aut ex remediorum effectibus in ſimilibus morbis deducta. Hinc adſtringentia et tonica fere ſola adhibita ſunt. Acida foſſilia, cortex Peruvianus, et vinum, pari ratione ac in aliis cachexiis, et in febribus propinata, totum apparatum medicaminum efficiunt. Remedia haecce, quamvis revera ſymptomatum inducias plerumque

a Cullen. illuſtr. Prim. Lin. DCCLXXIX.

que faciunt, et aliquot aegros ad valetudinem reduxerunt, minime morbum radicitus semper evellunt.

In morbo Susannae Pope, Adstringentia validissima, gummi kino, alumen, oleum terebinthinae, ad haemorrhagiam sistendam incassum tentata sunt; et acida fossilia, cortex, et vinum, ponderibus quantum, ob ventriculi irritabilitatem fieri potuit, maximis ingesta, spes vanas fefellerunt.

Diaetam generosam, forsan ex vegetabilibus praesertim, sive jusculis paratam, concoctu facilem, et ad nutriendum validam, aëra purum, et exercitationem lenem, plurimum ad aegri valetudinem citius certiusque redintegrandam collatura verisimile est. Immo forsan hoc in morbo curando, ut in scorbuto, et multis aliis, qui pauperes infestant, ars coquinaria longe medicamentariae praestat.

DE NATURA MORBI.

Lubricam causarum quaestionem, ni consuetudo conjecturas aliquas in hujusmodi dissertatiunculis flagitaret, ob plures, easque gravissimas causas, lubentissime evitassem. Primo et maxime, quod a viro illustrissimo, hodiernae medicinae facile principe, quem me praeceptorem habuisse mihi semper gratulabor, et summa cum voluptate recordabor, cujus a praelectionibus, non minus elegantia, quam ingenio et doctrina conspicuis, audiendis

aure

aure adhuc ferveo vaporata, aliquantum diſſentire, mihi quamvis invito, neceſſe ſit.

In aliis fere Europae Academiis, tentamina inauguralia ſemper meras Profeſſorum opiniones continent. In hac ſola, pro liberalitate illa, qua ſemper illuſtriſſima haec Palaeſtra gubernata eſt, candidato laurum Apollineam ambienti, dummodo ea qua juvenem et imperitum decet, verecundia et ingenuitate opinionem ſuam efferat, minime pertimeſcendum eſt, ne alienis inſiſtenti veſtigiis arrogantiae nota inuratur [a].

Hac igitur, nec levi aut incerta fiducia fretus, collectis in unum omnibus rebus jam memoratis, quae rei perobſcurae lucem aliquam afferre videantur, conjecturam, quae mihi, rem attente perpendenti, maxime arridet, libere, quantum vero maxime potero, modeſte proponam.

Ex morbi hiſtoria diſcimus, haemorrhoeam plerumque homines pauperes, et vitam tenuem agentes, infeſtâſſe. In illo quoque exemplo, quod D. Duncan de norma generali jure excipi poſſe putavit, forſan haud abſurdum erit ut cenſeamus, pueros, qui ſaepiſſime cibo utuntur non ſatis ſalubri, praeſertim fructibus immaturis et piſtoris dulciarii operibus, in hoc exemplo huic cauſae fuiſſe obnoxios.

In pleriſque caſibus, haemorrhoea ſequela fuit morborum, qui aut debilitate ſtipantur, aut ad debilitatem inducendam ſatis idonei videntur. Typhum, febres remittentes

a Vid. Exim. Macintoſh. Diſſert. Inaug. de Actione Muſculari, cujus verbis, illuſtriſſimae Academiae liberalitatem ſimili occaſione laudantis, hic fere uſus ſum.

tentes et intermittentes, amenorrhoeam, hypochondriaſin, jam enumeravimus. His in rebus haemorrhoeam et ſcorbutum evidens intercedit ſimilitudo; ſcorbutus ſaepe morborum febrilium veſtigio inſiſtit, nec raro animi pathematibus aut inducitur, aut aggravatur.

Minime vero abſimile eſt, labem ſtrumoſam, quae Suſannae Pope ex parentibus, triſti haereditamento, infigebatur, miſeram haemorrhoeae proclivem reddidiſſe. Fibra laxa et flaccida praedita eſſe videbatur.

In pleriſque exemplis, nauſea, cephalalgia, infirmitas, aliáque laeſarum functionum ſigna, morbum etiam a prima acceſſione ſtipant. Exinde, non ſine ratione concludi poſſe arbitror, non ſolum inertem materiam, ſive ſolidam velis, ſive fluidam, quae baſin corporis conſtituit, ſed etiam ſolidum vivum ſeu fibram muſcularem hujus morbi participem eſſe.

Quod ad ſanguinis effuſi ſtatum attinet, vix quicquam de ea re, ob attentionem parum accuratam quam praebuerunt auctores, certi novimus. Graffius verbis vagis, et minime experimentis, ut videtur, fundatis, ſanguinem tenuem et diſſolutum eſſe aſſerit [a]. Sanguis coagulatus certe vomitu et alvo ſeceſſit, et ruptis veſiculis grumoſus effluxit [b].

Sin ad ſcorbuti analogiam recurramus, ſanguis in multis cadaveribus, in cordis cavis ſpiſſus et coagulatus repertus eſt [c]. Solitam craſſamenti et ſeri ſeparationem, in ſanguine ſcorbuticorum obſervavit cl. Lind. Cohaeſionem ſanguinis in ſcorbuto auctam eſſe, potius quam diminutam, teſtatur muſculorum durities fere lignea, a ſanguine in

a Pag. ult. b Graff. pag. 20. c Poupart.

in musculorum interstitia effuso [a]. Eodem tendit grumus ille sanguinis coagulati, nautis *Bullock's liver* audiens, ex ulceribus scorbuticis saepe intra noctis spatium profusus, quique sine dolore exsecatur. Denique, sanguinis tenuitatem minime cum petechiis necessario connexam esse satis superque ostendit Morgagnus, cujus aut fidem aut curam nemo unquam in dubium revocavit. Is enim, in febribus malignis, et petechiis stipatis, cruorem sanguinis missi plus solito et cohaerere, et copiosam esse invenit. Post mortem, sanguis in cavis cordis et arteriarum coagulatus repertus fuit [b].

Quod vero in morbi historia attentionem maxime meretur, hoc est: Cadavera aegrorum, haemorrhoea extinctorum, nihilo citius, quam in aliis morbis, putredinem subiisse, omnemque a vivo corpore foetorem abfuisse.

Ex secto cadavere, constat lienem maxime morbidum fuisse; quod, ut et alia ad hunc morbum pertinentia, scorbuto analogum est [c].

Ex causis remotis, utpote de quibus nihil certi tradere potuimus, aliquas solummodo similitudinis cum scorbuto notas adjicere erit. Vidimus nempe, haemorrhoeam verisimillime aëri impuro, cibo concoctu difficili, et ad nutriendum inepto, deberi. Has quoque scorbuti esse causas testantur Kramer, Nitzsch, Lind, Rouppe, Monro, Trotter, Milman. Denique, vir ingeniosissimus Gulielmus Stark, qui magno cum medicinae damno, veritati experimentis investigandae se victimam praebuit, praecipua scorbuti symptomata, astheniam, scilicet, maculas,

a Poupart. XLIX. § 22.

b Morgagn. De Caus. et Sed. Morb. Epist.

c Σπλην μεγας. Hippocrat.

culas, ſtomacacen [a], in ſeipſo, dum pane et aqua, vel ſaccharo et aqua, per aliquot dies victitaret, produxit [b]. Vidi denique, in Comitatu Hantonenſi, virum, qui, ob melancholiam religioſam, a cibo omnigeno, praeter panem et aquam, pertinaciſſime abſtinens, in aëre ſaluberrimo, et tempeſtate calida, ſicca, menſe ſc. Julii anni 1788, petechiis et vibicibus, cute arida, ſtomacace, crurum oedemate, artuum debilitate et rigiditate inter movendum, dyſpnoea, praeſertim ubi corpus exercebat, affectus eſt. Gingivae adeo molles et ſpongioſae erant, ut portionem ſatis magnam digitis facile abſtrahere poſſet. Haec omnia mala, uſu fructuum horaeorum, aurantiorum, cibi vegetabilis recentis, et cereviſiae, intra paucas ſeptimanas fugata fuere [c].

Carnes ſalitas putreſcentes minime ad ſcorbutum producendum neceſſarias eſſe, conſtat, ni fallor, pace ſummi viri, tum exemplis jam memoratis, cum ex teſtimonio Nitzſchii et Krameri, de exercitibus Ruſſicis et Auſtriacis, et Milmanni de duabus mulieribus quae theae infuſo et pane veſcentes ſumma ſcorbuti violentia afflictae ſunt. Joannes a Bona, de ſcorbuto ſcribens, regionum Italiae, Alpibus vicinarum, incolas, polenta frumenti Turcici (Melampyrum arvenſe Lin.) et radicibus, per annonae caritatem et inopiam veſcentes, morbum miris prorſus modis paſſos eſſe aſſeverat. Eodem tendunt teſtimonia multorum aliorum, qui a Graffio citantur.

Fatigatio (ut ad haemorrhoeam redeam) quam ſubierat Suſanna Pope, quaeque ſaepiſſime ſcorbutum aggravaſſe,

a Cullen. Syn. Noſolog. G. LXXXVI.

b Stark's Works, publiſhed by Dr. J. C. Smyth. c Appendix.

vâſſe, aut homines, antea ſanos, et cibo vegetabili recente veſcentes, ei proclives reddidiſſe viſa eſt, praeſertim in claſſe Anſoniana, ad morborum ſimilitudinem ulterius ſtabiliendam tendet.

De methodo medendi ſolummodo notandum eſt, acidi vitriolici, corticis Peruviani, et vini, vires ad fabricam partis ſanguinis rubrae reſtituendam, vel lymphae quantitatem et ſpiſſitudinem augendam, nondum ſatis demonſtrata eſſe. Multo facilius intelligitur, medicamina hujuſmodi ad infirmitatem et laxitatem fibrarum corrigendas nonnihil valere.

Supereſt ut quaeramus, an hic morbus revera ab omnibus aliis, in pulcherrimo Noſologiae ſyſtemate Culleniano depictis, ſpecifice diverſus ſit; an tantummodo pro varietate morbi alicujus, ibi deſcripti, recenſendus.

Morbi, quos haemorrhoea adeo fortaſſe referat, ut de diſcrimine ambigi poſſit, ſunt febris maculis petechialibus ſtipata, et ſcorbutus. Caloris praeter naturam aucti, anxietatis, aliorumque febrilium ſymptomatum defectus, haemorrhoeam a typho petechiali ſatis accurate diſtinguit. Minime tamen diſſimulandum eſt, hujuſmodi phaenomena ſemel iterumque obſervata fuiſſe. Morbi vero duratio, longe ultra ſolitam febrium periodum protracta, optimam et certiſſimam praebet diagnoſin.

Poſtremo, an haemorrhoea accurate a ſcorbuto diſtingui poſſit, inquirendum venit. Hoc facile fieri poſſe arbitratur cl. Duncan, quia in haemorrhoea abeſt oris foetor, abſunt tumores crurum oedematoſi, muſculorum induratio, ulcera foeda et fungoſa, ſpiritus difficilis et anhelus. Abeſt denique ſtomacace, pro pathognomonico ſcorbuti ſigno a pleriſque auctoribus recenſita. Neque tamen

ſimus

ſimus immemores, gingivas Suſannae Pope lividas et ſpongioſas fuiſſe.

Minime pro novo et nondum deſcripto morbi genere temere habenda eſt, quaecunque nova aut inuſitata mali forma ſeſe medico obtulerit. Id enim ſi fieret, morborum genera eo plura eſſent, quo major medici ignorantia. Quiſquis obſervato morbo, a genere jam deſcripto parum, nec niſi gradu, diſcrepante, novam ſpeciem, novumve genus morbi ſtatuerit, curſum longe certe a perilluſtri illo curriculo, quem Cullenus emenſus eſt, diverſum, immo prorſus retrogradum, ingreditur. Hic rudera et impedimenta, a Boerhaavii et Sauvageſii uſque temporibus cumulata, ſummo ingenio, ſummaque diligentia, amovere conatus eſt. Is contra, quicunque nova morborum genera ſtruere aggreditur, viam ad ſcientiam medicinae, jam plus ſatis difficilem et tortuoſam, ſentibus magis horridis, ſitu aſperiore obruere geſtit. Uter melius de Tyrone, et de medicina mereatur, haudquaquam difficile eſt perſpicere.

Nullum certe ſymptoma in haemorrhoea unquam exſtitit, quod non ſaepius in ſcorbuto obſervatum fuerat. Attamen multa in ſcorbuto perſpiciuntur, quae in haemorrhoea deſunt. An ideo ſtatuendum, morbos ab invicem ſpecifice diverſos eſſe? Immo ſolummodo colligendum eſt, haemorrhoeam non niſi mitiorem ſcorbuti eſſe gradum, a minori cauſarum remotarum violentia oriundum. Quippe homines, vitam terreſtrem agentes, diaeta marina, ex carnibus ſalitis, et farinaceis non fermentatis, confecta, plerumque non utuntur, cibum vegetabilem recentem, qui ad ſcorbutum arcendum plurimum valet, fa-

cillime parant. Hinc morbus, niſi in urbibus obſeſſis, minus in terris quam in navibus ſaevit.

Stomacace male omnino pro ſigno ſcorbuti pathognomico habetur, quum non raro in hominibus caetera ſanis conſpicitur. Nemo tamen ſanus ſcorbutum in iis adeſſe ideo putavit. Nec deſunt exempla hominum, qui ſtomacaces expertes, omnia fere alia ſcorbuti ſigna ſumma cum violentia paſſi ſunt.

Sin aliquis firmis argumentis ſtatuerit, ſcorbutum, in navibus et urbibus obſidione cinctis, a carnibus ſalitis putreſcentibus, et plerumque in regione frigida, oriundum, a morbo terreſtri, priori, quoad ſigna et medelam, ſimillimo, ſed, ut videtur, a cibo parum nutriente et animi pathematibus, originem ducente, prorſus, et genere diverſum eſſe, tum certe mihi erit fatendum, haemorrhoeam a ſcorbuto revera diſcrepare. Hoc tamen facere vetant ſanae analogiae leges; vetat ſumma, et jure plurimum veneranda Culleni auctoritas [a], omnibus fere omnium obſervationibus freta.

Reſtat demum ut conjecturam de morbi natura, quae mihi videtur cum phaenomenis optime conſentire, paucis proferam.

Symptomata, quae in ſcorbuto obvia ſunt, ex ſolidi vivi potius quam ex fluidorum vitio pendere mihi videntur. Minime in animo eſt negare, humores in hoc morbo revera a ſano ſtatu deflexiſſe, aut fluidas aeque ac ſolidas corporis partes morboſis mutationibus patere; quippe qui putem, illas duplici modo vitiari poſſe. Humores in corpore

a Firſt Lines, MDCCXC.

pore animali circumeuntes iis omnibus mutationibus, quas poſt mortem ſubeunt, obnoxii forent, ni obſtaret aut ipſorum vita, aut vitalis vaſorum actio. Sanguinem vitae participem eſſe docet Joannes Hunter, ſuamque ſententiam argumentis et exemplis fulcire conatus eſt. Sed quum ea opinio, quamvis ingenioſa, et auctore ſuo digna, nondum fundamento ſatis ſtabili niti videtur, ſilentio hoc in loco praetereunda eſt.

Si ſola vaſorum actio obſtat, quin humores vitientur, haud difficile eſt conceptu, vim aliquam externam, ſalutari vaſorum actione validiorem, humoribus admotam, eos ita affecturam, ut morbum gignat. Haec prima eſt et idiopathica morborum humoralium ſpecies. Secunda eſt, ſi quando vis vaſorum conſervatrix eo uſque infirmata fuerit, ut non amplius ad naturales mutationes arcendas ſatis valeat. Exinde patet, hoc vitium ſolummodo a vaſorum vitio pendere, ideoque ſymptomaticum potius, quam idiopathicum, eſſe. Ubicunque ſanguis in ſcorbuto vitiatus apparuerit, ſecundam potius quam primam, ſymptomaticam potius quam idiopathicam morbi ſpeciem, adeſſe puto.

Unicuique fere corporis parti ſuus addicitur ſtimulus, quo juſto gradu admoto, functiones in ſano perſtant ſtatu. Sin hic aut quantitate vitietur, aut qualitate, morbus oritur. Horum quidem ſtimulorum nonnulli externi ſunt, alii interni. Externorum praecipui ſunt, cibus et potus, aër purus, calor. Internorum, ſanguis et humores ab eo ſecreti, motus voluntarius, vigilia, animi pathemata. Horum ſi quantitas aut vis augeatur, oriuntur bina morborum

borum genera; ſcilicet, aut incitatio [a], quae in majori fibrae muſcularis contractione, aut collapſus [b], qui in minori ejus contractilitate conſiſtit. Si minore, quam par ſit, gradu admoveantur ſtimuli, irritabilitas pari ratione creſcit, dum vis contrahendi non item. Et ſi hoc in ſtatu ſtimulus corpori applicetur, fibra longe facilius in collapſum incidet, quum ſi ſtimuli non hac ratione antea abſtracti fuerant.

Ad hanc fibrae muſcularis legem ſtabiliendam, argumenta ſequentia, ex exemplis nemini non notis deducta, ſatis erunt, ni fallor, ſuperque.

Primo, quod ad Famem attinet: Obſervandum eſt, mortem in iis, qui jamdudum famelici, tandem plurimum cibi ingurgitaverant, non raro accidiſſe. Eodem ſpectat, quod alii qui minus cibi, et poſt minorem neceſſitatem devorant, diarrhoea ſaepe laborant. Aquae potores quoque, eandem prorſus ob rationem, multo minori vini quantitate, quam ii, qui ſe liquoribus meracis aſſuefecerunt, fiunt ebrii.

Nec Frigoris (quod minor ſolummodo caloris gradus eſt) effectus minus ad argumenta noſtra conferunt. In plagis Borealibus frigus non raro tam acre eſt, ut extremas corporis partes aut prorſus vitae orbet, aut vitale principium plurimum minuat. His in caſibus, funeſtâ incolarum experientiâ compertum eſt, calorem ſubito admotum gangraenam certiſſime inducere; dum nix, vel aqua frigidiſſima, nempe vi ſtimulandi longe minore praedita, artubus torpentibus ſedulo affricta, calorem et ſenſum redu-

a Cul. El. Phyſ. CXXX.

b Cullen. Phyſiol. ibid.

reducit. Atque hoc, quod de extremis corporibus partibus gelu affectis, jam dictum eſt, de hominibus congelatis, et de animalibus per hyemem torpentibus, verum eſt.

Nec ab hac explicatione abhorret gratus ille caloris ſenſus, qui primis et longe diverſis balnei frigidi effectibus mox ſubſequitur. Nempe vaſa, admoto frigore magis irritabilia facta, a ſtimulis poſtea admotis validius ſe contrahunt. Huc quoque ſpectat fatigatio, in montibus excelſis, ubi frigus intenſiſſimum urget, et aër longe, quam in locis inferioribus, rarior eſt, a leviſſimo corporis motu oriunda, ita ut cl. de Sauſſure [a] altiſſima Montis Blanc cacumina tandem adeptus, non ſine laſſitudine et anhelatione aliquot paſſus ambulare, et experimenta cum barometro et aqua fervente perficere poſſet.

Motus quoque voluntarii defectus opinionem noſtram plurimum firmat. Neminem enim latet motus corporis, poſt diuturnam requiem, aegre perfici, et laſſitudinem, etiam a leviſſima exercitatione, continuo percipi. Nec aliquis mihi objiciat, illam movendi difficultatem torporem potius quam irritabilitatem arguere. Nam illa difficultas minime ab organi vitio pendet, ſed ab eo, quod idearum aſſociatio, ad motus voluntarios prorſus neceſſaria [b], tamdiu interrupta fuerit.

Pauca poſtremo de effectibus, quos certa animi pathemata in corpus edunt, notanda ſunt.

Qualiſcunque fuerit metaphyſica affectuum natura, mihi, fateor, videtur veriſimile, gaudium et moerorem, ſpem

a Voyage au ſommet du Mont Blanc.

b Hartley on Man, Vol. i.

ſpem et metum, ſaltem quantum ad effectus eorum in corpus humanum, tum ſanum, cum morboſum, pertinet, cum variis caloris gradibus analogiam maximam habere; ſcilicet, non tam contraria eſſe inter ſe, quam gradu differre. Spes enim corpori vigorem ſubminiſtrat; metus eundem detrahit. Gaudium modicum excitat, roborat: Intemperatum collapſum et ipſam mortem faceſſit. Moeror aut vires lente exedit, aut ſubito ferit; nec ſemper divinae particulae aurae parcit.

Nec in ulla re magis firma eſt analogia illa, quam inter haec pathemata et varios caloris gradus adumbrare aggreſſi ſumus, quam in ea, quòd ſicuti ad ſanam corporis valetudinem confert modicus calor, ab aeſtu et algore utrinque remotus, non ſecus, ut omnes vitae functiones recte perficiantur, affectus quidam excitantes, ſpem, fiduciam, et gratas quaſdam ſenſationes producentes, juſto gradu adſint neceſſe eſt. Ex horum praeſentia pendet, opinor, ſtatus ille, qui apud omnes fere phyſiologos Tonus audit, quique non in irritabilitate mera, ſed in certo incitationis gradu, conſiſtit, in quo, idoneis ſtimulis admotis, functiones cum vigore perficiuntur.

Quod ſi tonus ille metu vel moeſtitia imminutus fuerit, tum eo validius in fibram agunt ſtimuli omnes, ſive externos velis, ſeu affectus excitantes. Hoc tum a matre illâ Romanâ, quae, filio quem Thraſymeni occiſum crediderat ſubitô redeunte, ſtatim animam efflavit; tum ex exemplis ab eximio Fontana[a] narratis, in quibus viperae venenum in animalia variis pathematibus agitata inflictum

a Sur les Poiſons et le Corps Animal.

tum eſt, feliciſſime elucet. In experimentis enim in animalia irata factis, venenum nonniſi poſt tempus ſolito longe diuturnius necabat. Aſt in meticuloſis, contra, et timidis, exiguum omnino ſpatium ad ejus effectus requirebatur.

Nec vis affectuum, ad contagium arceſſendum vel praecavendum, notatu minus digna eſt. Namque, ut Poeta ſuaviſſime cecinit:

Whence drew Marſeilles' good Biſhop purer breath,
When Nature ſicken'd, and each gale was death [a]?

Certe a vi illa ſpei, fiduciae, et mentis ſibi recti conſciae, quam modo memoravimus.

Nec ad propoſitum meum non ſpectat, forſan, fibrae muſcularis ſtatus poſt mortem, prout illa affectibus excitantibus vel deprimentibus accerſita fuerit. In iis enim, quos gaudium improviſum vel ira necavit, corpus ut in animalibus fulgure ictis, aut viperae veneno ſublatis [b], irritabilitate omnino caret; vix rigidum fit; celerrime putreſcit. Dum in iis qui metu aut moerore occiſi ſunt, fibra, ut in animalibus congelatis, irritabilis eſt, riget, tarde putredinem ſubit.

Nec quenquam fore arbitror, qui mihi vitio velit vertere, quod pauca ex vegetabilium analogia, ad argumenta mea firmanda mutuaverim. Fateor enim me, experimentis pulcherrimis virorum clarorum Hales [c], Duhamel,

a Pope, Eſſay on Man, Ep. iv. v. 107. b Fontana ſur les Poiſons. c Vegetable Statics.

mel [a], Bonnet [b], Gmelin [c], Desfontaines [d], attente perpensis, irritabilitatem utrique naturae regno communem esse, negare non posse. Igitur haud abs re erit ut legem modo memoratam plantis applicare coner, quo clarius eluceſcat, eam non modo fibrae muſculari in animalibus, ſed fibrae irritabili in universum imperare. Quae quidem opinio, forſan non vera, ſaltem mentis eſt dulciſſimus error.

Quum plantae functionibus, iis quas exerçent animalia prorſus ſimilibus, fruuntur, illis ſolummodo exceptis, quae ex cerebro et genere nervoſo ſine dubio pendent, (ſenſu, ſcilicet, motu voluntario, et ſui conſcientia) mutationes a defectu ſtimulorum quorundam naturalium, lucis nempe, caloris, et nutrimenti oriundas, obiter memorabimus.

Morbus, qui plantas *luce* privatas adoritur, Gallicè *Etiolement* [e] nominatur. Hoc affectae herbae colore viridi carent, flaveſcunt, flaccidae ſunt et infirmae, nunquam juſtam magnitudinem aut qualitates ſibi peculiares adipiſcuntur. Lactuca, verbi gratia, et Celeri, quae in ſtatu naturali virent, amarae ſunt, forſan venenoſae, terrae aut arenae ope a lucis imperio ſecluſae, albeſcunt, ſaporem blandum acquirunt, edules fiunt.

Quantum ad *calorem* ſpectat, cl. Desfontaines, ex experimentis ſumma cura inſtitutis, irritabilitatem Mimoſarum omnium, Ciſti Helianthemi, Centaureae Calcitrapoidis,

a Phyſique des Arbres.
b Contemplation de la Nature.
c Apud Bonnet in op. citat. P. ii. p. 447.
d Journal de Phyſique 1787.
e Duhamel.

dis, aliarumque complurium plantarum mane maximam esse, Sole meridiano ardente minorem, vespere, post diem calidum, minimam comperuit. Nec non caloris abstractioni vegetabilium, aeque ac animalium hibernationem, tribuere ausim: Calori redeunti, et in auctam irritabilitatem agenti, subitum eorum augmentum vere novo factum. Nec ab alia causa, ni fallor, pendet impetus ille fluidorum in quibusdam vegetabilibus, praesertim in vite, verna tempestate observatus, quem vi sanguinis in crurali equi arteria circumeuntis quintuplo majorem esse supputavit accuratissimus Hales. Nam, si id soli caloris imperio esset tribuendum, certe effectus pro causae augmento crescceret, quod nequaquam fit; nam fluxus progrediente aestate minuitur, autumno fere nullus est. Denique, annon irritabilitati, per frigus intensum et diuturnum auctae debetur, quod in plagis Borealibus vegetatio longe, quam in calidioribus locis, fit promptior: Hordeum enim, quod his in regionibus non nisi post dies 120 maturum fit, intra 60 in Lapponia demetitur [a].

Quod ad nutrimenti defectum pertinet, nullum latet agricolam, plantas ex agris sterilibus in feraciores translatas, peculiari quodam morbo, Anglicè *Rankness* dicto, laborare, nequaquam, ut par erat fructus ferre, mox languere, nigrescere, cito corrumpi.

Morbus vero alius, quique longe plus ad rem nostram facit, plantas quasdam gramineas, praesertim secale cereale, infestat, variis sermonibus varia nomina sortitus.

a Linn. Amoenit. Acad.

Secale hoc morbo infectum Latinè *Cornutum* audit, aut *Corniculatum* [a]; *Clavus Secalinus* [b]; Gallicè *Seigle ergoté* [c]; Anglicè *Spurred Rye*. Cornicula autem illa est tuber quidam, a grano excrescens, ex fusco violaceus, quo inquinatum secale insalubre admodum fit, et morbum quendam excitat epidemicum, convulsivum, gangraenâ siccâ stipatum, qui a pagi nomine, in quo saepissime grassatur, Convulsio Solonienſis vel Necrosis Ustilaginea [d] nuncupatur. Longum esset, quanquam parum, forsan, a nostro proposito alienum, quidquam de necrosi proferre: Liceat pauca de vitio secalis memorare.

Clavum secalinum a soli humiditate et exilitate scatere invenit solertissimus Tessier, a societate Regia Medica Parisienſi in pagum Solonienſem missus, ut morbi causas exploraret, remedia exquireret. Quippe in iis agris saepissime occurrere visus est, qui jamdudum inculti, nuper denuo aratrum passi erant; ac in iis quorum flores per imbrem diuturnum et copiosum, aestatemque intempestivam et frigidam, prodierant. Parum abest, quin morbum hunc, a lenta et longa caloris et nutrimenti detractione oriundum, scorbuti nomine salutare ausim.

Mihi nunc videor, forsan falsa veritatis imagine, et proprii operis amore deceptus, vix non demonstrasse, saltem vero similem reddidisse, nutrimenti, caloris, affectuum excitantium, motus voluntarii, detractionem, fibrae muscularis irritabilitatem augere, tonum minuere. Auctores

a Hoffmann. Oper. Tom. i. p. 230. b Ray.

c Mem. Soc. Roy. Medec. T. i. p. 417.; Read sur l'Ergot.

d Salerne Mem. Acad. Scienc. T. ii.; Saillant et Tessier Mem. Soc. Reg. Medec. T. i. p. 303. ii. 587.

res [a] autem, nuper citati, fide certe digni, ex harum ipsarum rerum longa inopia scorbutum oriri testantur. Praeter autem ea, quae de cibo, aut nimis parco, aut minus justo nutriente, aëre frigido, humido, ab illis memorata sunt; exercitationis defectum quoque eodem tendere certum est, quum milites in navibus stipendia merentes, et nautae maxime ignavi et imbelles, omnium primi scorbuto afficiuntur. Constat quoque ex exemplis quamplurimis, affectus deprimentes, ut moestitia et metus, hunc morbum augere. Hinc nautae inviti conscripti ante alios scorbuta cedunt. Pathemata vero excitantia, ut gaudium, ardor pugnae, et fervidus patriae amor, morbum levant aut summovent. Pulcherrimum hujusmodi exemplum, et nautis Britannicis summopere honorificum, aeternae memoriae tradidit optimus Ives, quem nuper defunctum amici diu lugebunt. Nempe classem, quae duce Matthews conjunctas Galliae et Hispaniae classes prope Toulon expectabat, spe instantis praelii, a scorbuto liberatam fuisse [b]. Classis quoque, quae Rodneio immortali duce et auspice Gallicam classem fugavit, nunquam aut scorbuto, aut aliis morbis tam immunis fuerat, ac illa ipsa tempestate [c]. Nemo certe, ne quidem Pringleius illustris, gaudium, virtutemque militarem, antisepticis annumeraverit!

Huc

a Lind, Monro, Milman, Blane, Nitzsch, Kramer, Rouppe, Joannes a Bona. Vide quoque Diss. Inaug. Viri admodum ingenioſi, et mihi amicissimi, D. Grogan. Lugd. Bat. ann. 1788.

b Ives apud Lind on Scurvy. c Blane Tract. Opt. on the Diseases of Seamen, p. 96.

Huc quoque redit pia Principis Auraſiaci fraus, qui aquam meram, colore aliquo tinctam, pro certo remedio venditans, ſcorbutum, portenti inſtar, a militibus Bredae obſeſſis fugavit [a]. Parum quoque abeſt, quin eidem animi in corpus imperio, magnam partem levaminis, quod ab uſu frugum recentium in hoc morbo percipitur, tribuere auſim.

Nequeo igitur non ſuſpicari, cauſam proximam ſcorbuti eſſe " Auctam fibrae muſcularis irritabilitatem, cum imminuto tono, et minori cohaeſione, a nimis parca rerum ad vitam et ſanitatem neceſſariarum applicatione oriundam."

Nulla certe admittenda eſt de natura morbi cujuſvis conjectura, niſi quae omnium, ſaltem praecipuorum phaenomenum, rationem reddere valet. Nos ſtomacacen, petechias, et haemorrhagias, dyſpnoeam, motum muſcularem impeditum, convulſiones, et mortem ſubitam, a motu vel leviſſimo aut aëre admiſſo, paucis explicare conabimur.

Stomacace, petechiae, et haemorrhagiae, ut et ulcera in ſcorbuticis frequentia, a fibrae muſcularis vaſorum teneritudine et mobilitate pendent, quibus fit, ut etiam ſolito ſanguinis ſtimulo irritata, aut ſanguinem fundunt, aut ulcera aegre ſanabilia gignunt. Vidimus, ubi de medendi ratione tractavimus, oleum terebinthinae et adſtringentia nequaquam ad ſanguinem coercendum valuiſſe; quod tamen certe feciſſent, ſi ſoli ſanguini inhaeſiſſet vitium. Sin vaſa

a Van der Mye de Obſid. Bredae. Vide plura, de affectuum in Scorbuto effectu, in Anſon's Voyage; et Appendix, Hiſt. iv.

vaſa in eo ſint ſtatu, quo ad valide contrahendum prorſus inepta ſunt, tum facile explicatur adſtringentium inefficacia.

Dyſpnoea et ſpontanea laſſitudo ab infirmitate, tum in corde, cum in muſculis voluntati ſubjectis, oriri videtur. Convulſiones et mors ſubita, quae haud raro a motu leviſſimo, vel aëre repente admiſſo, ſequuntur, mobilitati ad extremum uſque auctae veriſimillime debentur.

Nec ratio medendi in ſcorbuto, tot ſeculorum experientia comprobata, a conjectura noſtra abhorret. Quippe cibus vegetabilis recens, fructus Heſperii, et herbae quaedam acres, antiſcorbuticae dictae, non ideo, ut nobis videtur, proſunt, quod antiſepticis viribus pollent (tetradynamiae enim facillime putreſcunt, et alkali volatile ſpirant) ſed quia concoctu faciles ſunt, corpus mediocriter et ſenſim alunt, eoque vis ſtimulantis gradu gaudent, qui ad auctam mobilitatem apprime convenit. Fruſtra aliquis objecerit, acrimoniam cruciformium nimiam fore, ſi noſtra hypotheſis cum veritate conſentiret. Nam nemo unquam pulſus aut velocitatem aut vigorem mediocri earum uſu in ſano homine auctam vidit. Nemo unquam aſſeruit, collapſum ab eorum ſtimulo oriri ſolere.

APPEN-

APPENDIX.

QUUM de morbo parum cognito ſcriberem, hiſtorias aliquot, ut judicaret aequus Lector, ſatiſne accurate ſymptomata enumeraverim, tradendas eſſe putavi.

HISTOR. I.

Jacobus Galloway, Ann. aet. 31. *agens.*

Die Januarii primo 1788, conſpiciebantur in variis corporis partibus, praeſertim in pectore, maculae parvae, quamplurimae, quarum nonnullae unam, aliae duas, pollicis lineas magnitudine aequabant. Nonnullae floridae rubebant, aliae lividae erant, quaedam nigrae, nullae vero ſupra cutis ſuperficiem elevabantur, quae ubique laevis erat. Diverſis in locis apparebant vibices, pollicem fere, vel ſeſquipollicem latae, caeruleae. Utraeque, per dies aliquot conſpicuae, dein evaneſcere, rurſuſque in iiſdem aliiſve locis redire ſolebant. Nullam, vel ex petechiis,

chiis, vel ex vibicibus, moleſtiam percipiebat aeger, nec, niſi videndo, eas adeſſe ſentiebat.

Aliquando ſanguis ſponte ex oculis, auribus, naſo, ore, et urethra fluebat. Si vulnuſculum, quantumvis exiguum, cuiquam corporis parti infligeretur, ſanguis, quantitate vix credibili, et aegre coercendus, erumpebat.

Aeger tuſſim quoque moleſtiſſimam conquerebatur, mucumque viſcidum, aliquando ſanguine tinctum, expuebat.

Arteriae centies fere in minuto primo micabant; pulſus vero debiles et abnormes erant. Alvus naturalis erat; ſitis urgebat; appetitus cibi imminutus erat; vultus palſebat et languebat.

Tres fere elapſae erant ſeptimanae, ex quo ſymptomata jam enumerata in conſpectum prodierant. Fatebatur tamen aegrotus, ſe jam olim bis ſimili modo affectum fuiſſe.

Acidum vitriolicum et corticem Peruvianum non ſine fructu jam uſurpare coeperat: Quum enim antea adeo debilis eſſet, ut foras prodire nequiret, tunc urbem, quamvis non ſine difficultate, mendicus perambulabat.

Julapii, ex ſpirit. vitriol. ten. ℥iii. miſturae mucilaginoſae ℥vi. confecti, ſemuncia ter in die ei propinata eſt. Sub hujus medicamenti uſu, factum eſt, ut haemorrhagiae nunquam poſtea occurrerent, praeterquam quod ſemel ſanguis ex gingivis fluxit, in quibus, cum inſpiciebantur, nullus tumor, nulla ſpongioſa laxitas apparuit. Petechiae et vibices, ſenſim rariores factae, tandem prorſus evanuerunt, nec aeger poſt diem Martis 8vum valetudinarium [a] frequentavit.

HIST.

a The Public Diſpenſary.

HISTOR. II.

Susanna Pope, Ann. aet. 15.

Parentibus olim struma affectis nata; in vico Titchfield, in comitatu Hamptonensi, habitans.

Die Septembris 18° 1788, conspiciebantur, in tota cutis superficie, maculae plurimae, parvae, in suris et femoribus maxime confertae. Harum pleraeque haudquaquam supra cutem elevabantur, multae vero durinsculae erant. Tumor fabam magnitudine referens oris angulum occupabat; similis intumescentia collo insidebat: Ambo dolebant et pruriebant; maculae vero dolore carebant. Harum color varius erat, scilicet aliae rubebant, nonnullae lividae erant, nec paucae nigrae. Sparsim observabantur vibices caeruleae, latae, quarum una, in collo sita, aliquantum dolebat.

Sanguis ex ore fluebat. Gingivarum pars firma erat; sed in dextro maxillae superioris latere, pars alia livida erat, et spongiosa. Gena dextra tumida erat. Lata *Ecchymosis* in lingua conspiciebatur. Carpus dexter dolore cruciabatur.

Pulsus arteriarum celeres et debiles erant. Vultus pallebat. Appetentia cibi naturalis erat. Calor non augebatur, nec urgebat sitis.

Aegra, pauper, neque tamen miſera, habitu corporis tenello praedita, proſpera, ut plurimum, valetudine uſa erat. Multum, in meſſis tempore, ſub Sole ardente laboraverat. Habitabat in domo parva, non tamen male ſita.

Ad finem menſis poſtremae, poſt febrem continuam, infirmitatem maximam diu paſſa eſt. Hanc propemodum fugaverat, uſu vini Luſitanici, et diaetae validae, lautioris. Vino per dies aliquot omiſſo, die Septembris 13° aliquantum ſanguinis e gingivis profluxit. Die 15°, perſtante haemorrhagia, maculae nonnullae, pulicum morſus mentientes, in brachiis apparuerunt, quae deinde per totum corpus ſerpſerunt. Veſpere, paucae ſanguinis guttae e vagina ſtillavere. Menſes nondum fluxerant. Vibices poſt diem alterum conſpectae ſunt.

Juſſum eſt, ut aegra ad vini uſum rediret; diaetam lautam, carnis ſcilicet recentis et vegetabilium, uſurparet. Aquam, acido vitriolico mixtam, ſaepius hauriret, et eodem acido infuſo ſalviae hortenſis inſtillato, pro gargaryſmate uteretur: Vultum, collum, et extremas corporis partes, aceto frigido crebro lavaret; corpus in aëre puro, ruſtico, ſaepius exerceret.

Horum remediorum ope, maculae colore magis vivido praeditae videbantur; ſed fluxus ſanguinis adhuc perſtabat.

Die Septembris 19°, haemorrhagia oris plus quam antea urgebat; pulſus in minuto primo 130, et debiles.

Juſſum eſt, ut biberet vini rubri libram quotidie; uteretur gargaryſmate ex alumine, gummi kino, tinctura myrrhae,

myrrhae, et aceto, confecto; ſumeret ter quaterve de die cochlearia tria medicamenti ſequentis.

Recipe, Decocti corticis Peruviani uncias ſeptem,
Pulveris corticis Peruviani rubri drachmas duas,
Tincturae corticis Peruviani unciam,
Elixir vitrioli acidi drachmas duas; miſce.

Die 20°. Aegra multum pridie a ſanguinis jacturae debilitata fuerat; ſyncope enim bis inducta erat, cibi appetentia multum proſtrata; et obſtiterat haemorrhagia, ne ſomno reficeretur miſera. Nullae petechiae novae a 18vo menſis die apparuerant. Ex iis quae antea conſpicuae fuerant, aliae tunc oculos fugiebant, aliae coloris multo minus fuſci erant, magiſque ſub cutem extendebantur. Pauxillum ſanguinis pridie e vagina ſtillaverat.

Haemorrhagia adhuc, minus vero copioſa, perſtabat. Gingivarum apices ſparſim lividae erant, et preſſae ſanguinem fundebant. Aliquando ſanguis plurimus a parte una, alterave erumpebat. Arteriae 120^ies in minuto micabant.

Praeceptum eſt, ut aegra alternis horis elixir vitrioli guttas decem ex cyatho vini rubri ſumeret: Applicaret gingivis, qua ſanguinem fundebant, linteum oleo terebinthinae madidum: Si haemorrhagia ex parte quavis copioſior fieret, ei loco penicillum eidem immerſum imponeret: Caperet ſaepius aliquantum aquae acido muriatico acidulatae, quam, uſque dum incaleſceret, in ore retineret: Curaret, ut aër, inter ſpirandum, per os tranſiret.

Die

Die 21°, Oleum nonnihil ad haemorrhagiam coercendam conferre viſum eſt, praeſertim in parte oris ſiniſtra, atque ideo ad veſperam uſque applicatum fuit. Tum ſanguis majori impetu erupit. Pulſus 130, aliquantum validiores, fiebant in minuto primo. Haemorrhagia ex utero nulla.

Linteoli, ſolutione aluminis ſatura udi, utrique gingivarum ſuperficiei admoti ſunt.

Die 22°, Pulſus arteriarum debiles et parvi erant. Haemorrhagia oris minus urgebat. Materiam ſedimento coffeae ſimilem ter quaterve evomuit aegra. Veſpere faeces nigreſcentes alvo ſeceſſerunt. Aderat ſomnolentia, ex qua non facile excitabatur. Oleum terebinthinae plus, quam alumen, ad ſanguinem coercendum valere viſum eſt.

Die 23°, Os parum ſanguinis fundebat. Vomitus perſtabat. Alvus ſaepe ſanguinem in grumos coactum deponebat.

Die 24° veſpere, aegra vita deceſſit. Tum maculae pleraeque non amplius ſe conſpectui offerebant; nullae, aut lividae, aut nigrae, obſervari poterant.

Cadaver per dies aliquot inſepultum manſit. Nulla tamen putredinis praeter ſolitum acceleratio obſervari potuit, nec foetor, quam pro temporis ratione, major erat.

HISTOR. III.

Alexander Dingwall, aet. 14.

Die Februarii 3^tio 1789, in Collegium Caſuale cl. Duncan receptus eſt. Tunc totam corporis ſuperficiem occupabant petechiae purpureae, haudquaquam ſupra cutem elevatae. Faeces alvinae et urina ſanguine inquinabantur. Nonnunquam mucus, quem expuebat, ſanguine tingebatur. Pulſus in minuto 72. Alvus ſoluta, appetentia cibi ſatis valida erat.

Haec ſymptomata jam per duos annos perſtiterant; petechiae vero nonnunquam per dies aliquot inconſpicuae fiebant, rurſuſque ſine cauſa manifeſta redire ſolebant; quarum tamen reditum nonnunquam comitabantur ſitis, cephalalgia, calor. Si forte aeger quamlibet corporis partem vulnerabat, ſanguis maxima copia, aegre coercendus, erumpebat. Nec raro haemorrhagiae ſponte fiebant. Vix duo elapſi erant menſes, ex quo plures ſanguinis librae e naſo profluxerant. Poſtea, ſymptomata aliquanto minus gravia fuerant, nuper vero, ſolita violentia redierunt.

Cortice Peruviano, cum multis aliis medicamentis, jam fruſtra uſus fuerat, ſaltem ſine conſtanti levamine.

Juſſum fuit, ut aeger ter de die caperet unciae ſemiſſem ſequentis miſturae.

℞. Spiritus vitrioli tenuis drachmas duas,
Tincturae aromaticae,
Aquae fontis ana uncias tres ; misce.

Die Februarii 17mo nunciatum est, aegrum paucos ante dies levem haemorrhagiam e nare passum fuisse, mucumque sanguine mixtum exscreavisse. Petechiae tunc temporis aderant quamplurimae, praesertim in pectore. Omissa mixtura, aegrotus pulveris gummi kino, aluminis, ana scrupulum ter die sumpsit.

Nausea et vomitus primae dosis administrationem secutae sunt ; postea vero aeger pulverem sine incommodo assumpsit. Nulla exinde haemorrhagia ad diem mensis usque 14^m^ apparuit. Tum petechiarum numerus aliquantum imminutus erat. Maculae quaedam parvulae, petechias referentes, internam labii superioris superficiem occupabant ; gingivae autem nec tumidae nec spongiosae erant. Urina naturaliter se habebat ; alvus item ; appetitus bonus erat ; pulsus arteriarum 80.

Pulvis gummi kino cum alumine, ut antea, praescriptum est. *Die* 21° aeger aliquando levem nauseam ex medicamento passus erat. Petechiae in eo statu, quem nuper descripsimus, perstabant, et vibices aliquot latae in variis corporis partibus apparebant. Haemorrhagiae aberant. Pulsus, alvus, et mucus exscreatus secundum naturam erant.

Medicamentis ut antea usurpatis, *Die Martis* 7mo symptomata omnia plurimum levabantur, aegerque ab haemorrhagiis immunis erat, pulvereque ut antea sumpsit.

Die

Die 21°, Petechiae minori numero obſervabantur, quanquam *die* 19° multum ſanguinis e gingivis profluxerat. Remedia igitur ut antea praeſcripta ſunt.

Operae pretium fore duxi, ut aegri, cujus in pagina 23 mentionem obiter feci, hiſtoriam, iiſdem fere verbis quibus a Domino Stocker, viro mihi amico, chirurgiam apud Titchfield, in comitatu Hantonenſi perite et feliciter exercenti, mihi communicata eſt, narrarem.

'July 30. 1788. Farmer Thomas Cawte, aged thirty-four, had, over the whole ſurface of his body, a number of red and livid ſpots, about the ſize of pins heads, accompanied by an unnuſual roughneſs of the ſkin; and juſt above his right ham a very large ecchymoſis appeared, of a dark blue colour. None of theſe appearances, however, were attended with pain.

'He was alſo troubled with a pretty conſiderable bleeding from his mouth, and, on examination, the gums appeared ſwelled, livid, and very looſe in their texture, though not painful. He had frequently ſeparated conſiderable portions of them by rubbing them with his fingers. His extremities were ſwelled, and retained the impreſſion of the finger. He had a pale dejected countenance, and complained of extreme debility, with remarkable ſtiffneſs in his limbs, great pain and weakneſs

'in

'in the ſmall of his back, together with oppreſſive reſpi-
'ration, particularly after uſing exerciſe; his bowels
'were very coſtive.

'He could give no ſatisfactory account when his com-
'plaints began, but ſaid, that, for ſome time paſt, he had
'felt himſelf incommoded in moving about, by the ſtiff-
'neſs in his joints; and this, he thought, was trouble-
'ſome to him before the ſpots appeared.

'He is born of a family in whom there appears an he-
'reditary madneſs, and about two years ago he was
'much troubled with lowneſs of ſpirits and dejection, in
'which he ſhewed an aſtoniſhing averſion to eating
'any food, except ſuch as was of the moſt ſimple kind.
'He continued in this melancholy ſtate about twelve
'months.

'In the ſummer of 1787, he became more rational,
'partook more freely of the enjoyments of company, and
'attended to his buſineſs nearly as well as ever. He
'ſoon, however, relapſed into his former deſponding ſtate,
'thinking his time always ill employed, except when en-
'gaged in religious ſtudy and contemplation. At length,
'he grew ſo obſtinately ſingular with reſpect to his diet,
'that he conſidered it as a crime to uſe any other drink
'than water, and ſteadily perſiſted in eating nothing but
'bread, of which he was contented with a very ſmall por-
'tion daily. All fruits and vegetables he religiouſly ab-
'ſtained from.

'He lives in a dry ſituation, in a well cultivated coun-
'try, about half a mile from the ſea. There had been,

'before

'before the date of this, for ſome months, a remarkable 'continuance of dry weather.

'It was inſiſted ſtrenuouſly, that he ſhould adopt a bet-'ter diet, live as the reſt of the family did, avoiding ſalt-'ed proviſions, eat plentifully of ripe fruits, and be free 'in the uſe of oranges. A decoction of bark, with alum 'and tincture of myrrh, was ordered as a gargle. To 'obviate his coſtiveneſs, which diſtreſſed him much, he 'was directed to uſe an electuary, which Dr Lind em-'ploys in ſcurvy with advantage at Haſlar Hoſpital, 'conſiſting of equal parts of conſerve of woormwood and 'lenitive electuary, acidulated with elixir of vitriol. He 'was alſo ordered to bathe the blotch on his thigh with 'cold vinegar.

'Under the uſe of theſe means, his complaints decrea-'ſed rapidly. By the uſe of ripe fruits, and eſpecially of 'oranges, his belly became regular; he therefore had 'not recourſe to the electuary. He conſented to drink 'beer; but ſtill refuſed to eat any thing but vegetables 'at his meals. By a perſeverance in this plan, he was 'perfectly freed from his complaints in a ſhort time.'

T A N T U M.

CORRIGENDA.

Pag. 13. l. 3. *pro* alia *lege* aliae
23. 11. *pro* Haee *lege* Haec
29. 1. *pro* corporibus *lege* corporis
35. 11. *pro* ſcorbuta *lege* ſcorbuto
40. 21. *pro* ℥iij. *lege* 3iij.
42. 6. *pro* poſtremae *lege* poſtremi
43. 7. *pro* jacturae *lege* jactura.